



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.  
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,  
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac  
sumptu haud ita modico ...**

**Rupert <von Deutz>**

**Colonia, M. D. XXVI.**

**VD16 R 3796**

Q[uo]d illo t[empore] non solu[m] fides, ueru[m] etia[m] p[ro]phetia ante  
diluuiu[m] sanctis illis à sancto sp[irit]u data fuerit, p[ro]ut uoluit de  
sacrame[n]to numeri, quo ait Lamech septulum ultio ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

esse dei filium dicens (ut superius memoratum est) & deliciae meae esse cum filiis hominum. Vnde haec praeparatio scilicet fides nisi ex dono tuo uenit o spiritus dominus. Haec enim de diuisionibus gratiarum, quas tu operaris, una & optima est, dicente Apostolo: 1. Cor. 12. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiae: alij autem sermo scientiae secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, & caetera, quarum uidelicet gratiarum numerum nouenarium pulchre (ut arbitramur) superius assimilari diximus nouem nominibus ordinum angelorum. ¶ Cum igitur dicit idem Apostolus: Fide plurimam hostiam perhibente deo muneribus eius, et per illam defunctus adhuc loquitur, fide Enoch translatus est ne uideret mortem & non inueniebatur, quia transtulit illum deus. Ante translationem enim testimonium habebat placuisse deo: sine fide aut impossibile est placere deo: Cuiusquam haec & caetera dixit, admiratio nem nobis adauget, ut dicamus magis ac magis, sicut supra memoratus Propheta dicit: Quis adiuuit spiritum domini? Immo ubi erant illi adiutores tui o spiritus domini. ¶ Quos uel qualium unus loquitur Apostolus, dei enim sumus adiutores, subiungens, dei agricultura estis, dei aedificatio estis secundum gratiam quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superaedificat. Vbi (inquit) erant, quando ponebas ista fundamenta terrae, illos primos secundum fidem patres Ecclesiae? Na hodie ubicumque fundamentum hoc ponitur, ubicumque fides fundatur, multi eiusmodi adiutores sunt, multae uoces praedicatorum, multi libri Prophetarum & Apostolorum, multa signa frequentia ad confirmationem dictorum. At uero tunc quis te adiuuit o spiritus domini? Quid habuisti huiusce adiutorij? Tu solus absque libris, absque signis uel portentis scripsisti, ut es digitus dei in cordibus eorum: scripturam hanc, id est, fidei scientiam, per quam uel in qua testimonium consecuti sunt senes (ait idem Apostolus) scilicet Abel & caeteri antiqui patres usque ad Moysen, quos in cordibus absque libris caeterisque adiuuentis fundamentum hoc, te ponente fundatum est.

¶ Quod illo tempore non solum fides, uerum etiam prophetia ante diluuium sanctis illis a sancto spiritu data fuerit, prout uoluit: & de sacramento numeri, quo ait Lamech, septuplum ultio dabitur de Chain de Lamech uero septuagies septies. Ca. XI.



Aeterorum quoque charismatum non nihil iam tunc temporis sensibus siue partibus illis diuisit idem spiritus sanctus, prout uoluit, scilicet prophetiam siue scientiam diuinam. Nam scientiam humanam non adeo nos hic attendimus, quam humano plerumque ingenio consequuntur, & illi qui sunt sine fide uel expectatione huius paracliti. Verbi gratia musicam, cuius ita meminit scriptura in illo, qui septimus fuit a Chain. Et nomen fratris eius, uidelicet Iubal, fuit T ubal, ipse fuit pater canentium ci thara & organo. ¶ Diuinam autem scientiam dicimus, quae diuinum aliquid siue spirituale se sapit, ut est illud: Septuplum (inquit Lamech) ultio dabitur de Chain: de Lamech uero septuagies septies. Huius namque dicti meminisse, et huc respicere dignatus est ipse dominus, qui fere nihil absque scripturae autoritate loquebat, dum Petro dicens: dicitur, quoties peccabit in me frater meus, & dimittat ei, usque septies: ita respondit: Non dico tibi Petre usque septies: sed usque septuagies septies. Diuinus namque sensus in uerbis istis latet, qui ex ratione numerorum facile colligi potest. Na septenarius numerus, in quo est positum peccatum Chain, dicendo, septies ultio dabitur de Chain, insolubilis est: neque enim partes habet mediam aut tertiam, aut alias praeter solas unitates. Numerus uero septuagesimus septimus praeter unitates habet etiam alias partes in quas resoluatur, scilicet septenarium, & undenarium. Denique septies undecies siue undecies septies, .lxx. septem sunt. Recte ergo & pulchre, sicut per septenarium in quo numero (sicut iam diximus) signatum est peccatum Chain, insolubilis intelligitur ultio, quae de ipso data est, eo quod inpenitens fuerit, & per .lxx. septem, in quo numero positum est uulnus siue liuor Lamech, dicendo, de Lamech uero .lxxvii. solubilis intelligitur ultio, i. quam aliqui terminet uel finiet remissio, & hoc est quod dominus dixit Petro, non dico tibi septies, sed usque septuagies septies, id est, non cuiquam inpenitenti, sed omni inpenitentia agenti dimittes. ¶ Prophetiam quoque cui illius hominibus non oino defuisse, uel illud

Proter. 8  
1. Cor. 12  
Heb. 11  
Fidei comendatio in prius  
1. Cor. 12  
Heb. 11  
Scia ta diuina, q hūana i prius antiquis  
Gene. 4.  
Mysterium i his numeris septies & septuagies septies  
Ibidem,  
Mat. 18.  
Prophetia Enoch  
pro ex

pro exemplo siue testimonio sit, quod in canonica legimus epistola Iudæ Apostoli. Prophetauit autem de his septimus ab Adam Enoch dicens. Ecce uenit dominus cum sanctis milibus suis, facere iudicium contra omnes inique agentes, & cætera. Quæ prophætia & si de notis non habet exemplum literis: ante illam epistolam Apostoli, non tamen leuiter potest contemni, quod Apostolus Christi prophetatum fuisse scripsit, & per spiritum sanctum scire potuit.

¶ Item de charismatibus spiritus sancti, quod illo tempore & post illud tempus ante aduentum spiritus sancti in remissionem peccatorum datus non fuerit quodq; data tunc preparationes fuerint regenerationis, qua nunc sunt filij dei, & de eo quod ait beatus Job de illis, quia concepti non uiderunt lucem. Cap. XII.

lege t eius



Is & alij charismatibus suis spiritus sanctus homines illustrando, sine dubio multitudinem iam tunc fecit filiorum dei, quamuis paucos, quamuis tantum duos aut tres ante diluuium manifeste scriptura nominauerit. Cum enim cepisset (ait) homines multiplicari super terram, uidentes filij dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant, filios dei illos, quod de stirpe Seth: & filias hominum illas nominans, quæ de stirpe Cain procreata fuerat. Veruntamen quis filij dei iam tunc nominati fuerint, propter fidem & propter cætera (de quibus diximus) charismata spiritus sancti, non iam tunc eadem charismata hoc perfecerunt, ut essent filij dei, sed præparatiões erant generatiões, immo regeneratiões, filiorum dei, in quo consummata sunt tam ueteres quam noui, deo prouidente (ait apostolus) ut non sine nobis cõsummarentur. Nam per sanguinem huius solius, tam illi, quam nos, spiritum sanctum in ista gratia, quæ est remissio peccatorum, accepimus. ¶ In quorum, uidelicet ueterum & nouorum, distinctiõe illud perpendere pulchrum est, quia cum (sicut alio iam loco diximus) duo sunt data sancti spiritus, alterum in remissionem peccatorum, alterum in diuisiones gratiarum: ueteres prius in diuisiones gratiarum quam in remissionem peccatorum acceperunt, noui autem, scilicet nos, qui post passionem Christi renascimur aut renati sumus, prius in remissionem peccatorum quam in diuisiones gratiarum accepimus, præter Cornelium de Actibus apostolorum, & eos qui cum illo erant, super quos, antequam baptizarentur in remissionem peccatorum, cecidit spiritus sanctus, & erant loquentes linguis, & magnificantes deum. Ratio quippe temporis hoc exigebat, propter eos qui crediderant ex Iudæis, & gentiles nisi circumciderentur, ne liceret illis, uidelicet credentibus ex Iudæis pertinacius dicere, quare introisti ad uiros præputium habentes, magisque daretur libertas Petro, ut diceret ad eos. Quis prohibet baptizari eos qui eos spiritum sanctum acceperunt sicut nos? Itaque de illis, scilicet, de ueteribus sanctis siue filiis dei, maxime qui ante diluuium fuerunt, recte dicas illud mysticum beati Iob, quia concepti non uiderunt lucem. Gratia namque spiritus sancti (qui est ipsa benedictio patris & filij, qua benedixit deus masculum & feminam dicens, crescite & multiplicamini) sterilis quidem deinde nunquam fuit, quin tanquam maternus uterus conciperet filios dei, sed quia non peruenerunt ad iam dictæ remunerationis diem, immo nec cogniti sunt mundo per alicuius scripturæ narrationem, nimirum quasi concepti non uiderunt lucem. Proinde his ommissis, iam ad cætera transeamus.

Gene. 6.  
Filij dei, de stirpe Seth, filia hoim, de stirpe Cain.

Hebr. ij.

Differetia inter ueteres & nouos in donis spiritus sanc.

Actu. jo

¶ De tribus filiis Noe, ex quibus reparatus est orbis, & quod ualde notandum est, trina enunciatione renouatum super eos uerbum benedictionis quod deus super primos homines edixit, & quod Ebaan potius pater quam ipsum Cham maledixit. Cap. XIII.

Gene. 6



Noe uir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis. Cum deo ambulauit, & genuit tres filios Sem & Cham & Iaphet. Ex istis tribus hominibus reparatus est orbis & quod ualde notandum est trina enunciatione renouatum est super eos uerbum benedictionis, quod deus super primos homines edixit. Egredere (inquit deus ad Noe) de archa tua & uxor tua, filij tuæ & uxores